

210 *Ilekely*, nuper iuxta ecclesiam effossa CAMD. *This . . . I could by no means recover; I doubt not but it has been one of those, which Sir Rob. Cotton and Mr. Camden carried off, and has been since 1 st HORSL. Certe non pervenit Cantabrigiam.*

IMP · SEVERVS
AVG · ET ANTONINVS
CAES · DESTINATVS p. C. 197?
RESTITVERVNT CV
5 RANTE VIRIO LVPO
LEG EORVM PR · PR

Camden ed. V (1600) p. 620 (inde Scaliger ad Euseb. p. 228; Grut. 191, 3 'a Camdeno'; Horsley p. 311; Orell. 919; Newton p. 107, 16).

1 IMP traditur, in lapide fuit fortasse IMP.

Cum Caracalla inde ab a. 196 Caesar fuerit, Caesaris destinati nomen per se insolens quadraret in a. 195. Conieci igitur olim (mus. Rhen. 12, 1857 p. 66) titulum initio fortasse mutilum ita supplendum esse *imp[er] Caes. L. Septimius] Severus [Pius Pertinax] Aug[ustinus] et [M. Aurelius] Antoninus Caes[ar] [imp[er]ator]] destinatus*; ita enim *imperator destinatus* Caracalla dicitur in titulis Or. 452. 923. 2325 Henz. 6085. Virius Lupus redit infra in titulo n. 273, apud Dionem 75, 5. 6, in digestis 28, 6, 2 § 4 (quae iam comparavit Camdenus); cf. Böcking ad notit. p. 500*. Ab eo descenderunt homines duo cognomines, consul a. 278 et praefectus urbi a. 298 (cf. Rossius annal. inst. archaeol. 1849 p. 291).

XX. MANCVNIVM

(Manchester).

Accedit Castlemere prope Rochdale, Lancashire.

Priusquam per Eburacum ipsum ad partes insulae Britannicae orientales redimus, recensendi sunt tituli partis occidentalis, quae et ipsa Brigantum olim videtur fuisse. Incipiendum igitur ab oppido quam maxime ad meridiem sito; quod Mancunium videtur fuisse mansio itinerarii (p. 468, 7 ubi codd. corrupte *Mamutio* habent, et p. 482, 2). Eam probabiliter antiquarii Britannii posuerunt prope *Manchester* urbem hodie permagnam, cuius nomen inde videtur derivatum esse, in situ castrorum Romanorum, quem hodie vulgus dicit *Castlefield*. Ibi enim prope reperti sunt tituli non multi huius capituli; qui praeter vexillationes Raetorum et Noricorum (n. 212) legionis puto sextae Eburacensis (cf. n. 211. 217) vel etiam vicesimae Devensis (eius sane ibi quoque dicitur eruderata esse tegula una) cohortem I Frisiavonum ibi in castris fuisse ostendunt (n. 213. 214 et falsus tegulae inscriptus). Cohortem illam Frisiavonum in Britannia tetendisse sub Traiano et Hadriano diplomata annorum 106 et 124 docuerunt; praeterea supra eam deprehendimus non longe inde in *Melandra Castle* comitatus *Derbyshire* (n. 178). Titulos servaverunt praeter CAMDENVM (n. 213. 215) et scriptores antiquiores nonnullos (n. 211) atque HORSLEIUM inprimis GOUGH et BAINES. Addidi, propter loci propinquitatem, unum sigilli votivi repertum prope *Rochdale* oppidum item hodie frequens (n. 217), qui WHITAKERO debetur.

Cum primus hic sit comitatus Lancastrensis locus in hac sylloge memoratus, elenchum scriptorum eius regionis, qui consulendi erant, hic proponere commodissimum visum est. Atque de comitatu universo hi scripserunt.

1. Carol. LEIGH (*natural history of Lancashire, Cheshire and Peak in Derbyshire. With an account of the British, Phenician, Armenian, Greek and Roman antiquities in those parts.* Oxon. 1700 fol.) de antiquitatibus satis inepta profert titulosque fere omnes desumpsit ex Camdeno.

2. I. CORRY (*the history of Lancashire.* Lond. 1825 2 voll. 4.) Titulos ad Coccium (c. XXI) pertinentes, quos profert, ex Camdeno sumpsit; unde eos non citavi.

3. Eduardus BAINES (*history of the county palatine and duchy of Lancashire.* Lond. 1836 4 voll. 4.), quanquam permulta ex aliis scriptoribus, veluti ex Camdeno et ex Whitakero sumpsit, nonnulla tamen habet sibi

propria nobisque utilia. Contuli etiam editionem novam ab Ioh. Harland et Broke Herford curatam (Lond. 1868. 1870. 2 voll. 4.), sed in uno tantum titulo (n. 226) cum fructu.

4. *Historic Society of Lancashire and Cheshire, proceedings and papers* (vidi voll. I—XII a. 1849—1860 et seriei novae voll. I. II 1861. 1862 8.). Tegularum tantum et instrumenti domestici aliquot titulos ibi repperi.

De *Manchester* urbe scripserunt hi.

5. Ioh. WHITAKER (*the history of Manchester in four books* ed. I Lond. 1771 2 voll. 4., ed. II aucta et emendata Lond. 1773 2 voll. 8.), scriptor non optima fidei (cf. eiusdem liber *genuine history of the Britons asserted* Lond. 1792 8. et S. Birch *archaeol. journ.* 4, 1847 p. 31) atque in titulis, quos profert, ab antiquioribus pendens.

6. *Manchester literary and philosophical Society* (vidi voll. I—XIV a. 1805—1857, ser. II voll. XV—XXIX, ser. III vol. I 1862 8.). Insunt quaedam de rerum Romanarum reliquiis observata, tituli vero nulli.

Duo extant in *Manchester* musea publica, in ipsa urbe alterum (*the City Museum*), alterum in burgo *Salford* (*the Peel Park Museum*); in utroque praeter antiquitates externae originis, scilicet Cyprias et Africanas, quaedam etiam servantur patriae, in museo urbano titulus unus (n. 318), in *Salfordensi* instrumenti domestici specimina varia.

Etiam in *Liverpool* urbe praegrandi, quanquam non est Romanae originis, musea extant duo, alterum a Mayero aurifice conditum, nunc vero publicum (cf. *gent. mag.* 18, 1861 p. 49), cuius supra iam memini (n. 94), alterum societatis historicae supra n. 4 indicatae in *the Free Library*; sunt ibi instrumenti domestici tituli aliquot.

7. *Liverpool literary and philosophical Society (reports and proceedings;* vidi numeros I—XVIII a. 1845—1864, 8.). De viis eius regionis Romanis deque aliis antiquitatibus quaedam observantur, tituli non proponuntur.

De antiquitatibus comitatus *Lancaster* in universum consulatur Goughs Camden 3 p. 375 ss. 383 ss. Ipse praeter *Liverpool* et *Manchester* oppida principalia in transcurso tantum eum vidi. Quod in *Warrington* oppido extare dicitur museum (*assoc. journ.* 15, 1859 p. 231 n. 311), non vidi.